

1072



Kern 241

(1-27)



(20)

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE VERTIGINE.

Q V A M  
RECTORE VNIVERSITATIS EBERHARDINÆ CAROLINÆ  
MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DVCE ET DOMINO  
D O M I N O

C A R O L O

DVCE WVRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE  
REL. REL.

P R A E S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO  
GVILIELMO GODOFREDO  
P L O V C Q V E T

PHILOS. & MED. DOCTOR. PATHOLOGICÆ & PRAXEOS PROF. P. O.  
FACVLTATIS MEDICÆ p. t. DECANO

FAVTORE AC PATRONO SVO PIE DEVENERANDO  
P R O G R A D V D O C T O R I S  
D. SEPT. MDCCLXXXIII.

P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R

CHRISTOPH. CHRIST. FRID. BVSCH  
DVNCKELSBVHLENSIS  
VRBIS PATRIÆ DESIGNATVS PHYSICVS.

T V B I N G Æ T Y P I S S C H R A M M I A N I S.

DISSERTATIO IN ANATOMIA MEDICA  
DE VERTIGINE

LECTORE UNIVERSITATIS ERIEMANNIANAE CAROLINAE  
MAGISTRICISSIMO  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DUCI ET DOMINO  
DOMINO

CAROLO

DUCE WERTIMBERGAE ET REICHA REGNANTE

FRANCO  
VIRO EXCELLENTISSIMO AC  
GUILIELMO GODFRIDO  
PLEYCOVET

PRO GRAB. DOCTORIS  
FAVORE AC PATRONO SUO REVERENDISSIMO  
D. SERENISSIMO

CHRISTOPH. CHRISTIANUS BUCH  
VIRI DOCTISSIMI  
VIRI DOCTISSIMI





## PROLOGVS.

**E**gregiæ sunt omnino multæ illarum eruditarum perscrutationum, quæ in veterum scriptis nobis relictae sunt, & adhuc scriptis prodeunt de nervorum natura, indole atque affectibus morboſis, nec unquam ipsis induſtrie a medico perlegendis ulla ætas tantum opus habuit, quam noſtra. Ita ſcilicet a majorum corporis conſtitutione noſtra natura recedit, ut in dies magis magisque ſit fragilior, & prudentia medica indigeat ad ſui conſervationem. Veteres & corporis firmitate atque ſanitate noſtræ ætatis hominibus longe prævaluere, & morbos, quos hodie ſat frequentes videmus, multo rarius experiebantur. Neque etiam fieri aliter potuit, eum jam noſtro vivendi ſyſtemati tot factitiæ neceſſitates



junctæ sint, quas veteres plane ignorabant. Id vero nihil impedit, quin ex veterum recentiorumque scriptorum lectione usum capere possimus, modo ad id attentè esse debemus, ut in applicandis ad individuales casus illorum consiliis judicio convenienti practico istos pertractemus. Subinde enim diversa sub facie sese morbus unus idemque offert, quem ne cum alio confundamus, maxima opus est in observatione diligentia. Ipsa, quam paginis hæc delineare audeo, vertigo, in eorum morborum classem est referenda, qui sæpius in originis suæ indagatione difficiliores sunt atque nonnunquam fallunt. Ut specimen hoc, qualecunque sit, benevole excipiat, est mihi quam maxime in votis.



§. 1.

**V**ertigo, Græce δίνος, σκότωμα, σκοτοδινία, ἰλγγος, ἰλγξ, est imaginaria perceptio rotationis objectorum quiescentium, estque vel *Idiopathica*, si ex nervorum debilitate sive ex vasorum sanguiferorum in cerebrum vel nervos, præcipue opticos, pressione oritur, vel *Sympathica*, si nervorum actio a causis remotis, maxime digestionis vitiis, perturbatur, adeoque caput per consensum afficitur. Pro duplici hac vertiginis specie rem tractare mihi propositum est, ubi primum de vertigine idiopathica agam, præmissis aliquot verbis de vertigine in genere.

§. 2.

Quod ad Symptomata vertiginis attinet, illa præcipue in his consignari posse censeo, quod primum corpora im-

A 3

mota

mota moveri, vacillare, oscillare, vel & in gyrum rotari  
 videantur. Quippe moveri videbitur objectum, qualiscun-  
 que sit, & quovis modo fiat illa specierum mutatio, cum  
 externorum motus oculo percipi non soleat, nisi quatenus  
 in retina depictæ imagines locum mutant. Jam sese ad nu-  
 bes rapi, in atmosphæra turbinis instar rotari, & aliquan-  
 do cum externis omnibus ad inferos agi, præcipientesque dari  
 sese vertiginosi sibi videntur, ut taceam alias phantasiæ hic  
 mirificas aberrationes. In Symptomatibus vertiginis id porro  
 recensendum est, quod homo itidem in objectorum numero  
 & colore ludatur, cum mutata visionis axe, in retinis dua-  
 bus unum quidem objectum, attamen cum loci apparente di-  
 versitate depingatur. Mutatur autem axis, quoties unus, vel  
 alter, vel & uterque oculus vi mechanica a consueta directio-  
 ne divertitur. Jam extrinsecus dimovetur, ope digiti *a*) v. g.  
 (quod facili optico ludo quilibet in semet ipse experiri potest)  
 intrinsecus vero, majori in uno, quam altero, humorum expan-  
 sione, quæ in ebris, juxta *Bellinum b*) obtinet. Musculorum  
 bulbi actio autem inæqualis magis & hic videtur in causa  
 esse. Colores autem magis aut minus vividi apparent, pro  
 majori aut minori motus in retina nervoque optico dominan-  
 tis celeritate. Quod non in vertigine solum accidit, sed & in  
 affectione hysterica & hypochondriaca, in pertinaci membra-  
 næ narium Schneiderianæ catarrhō, in tussi sonora, sternuta-  
 tione vehementi, in animi deliquio, ebrietate, cholera, in  
 laqueo

*a*) Vid. BELLINI op. p. 579.

*b*) Vid. BELLIN, p. 590.



Iaqueo suspensis, narrante III. VERVLAMIO, e) in epilepti-  
cis, quibus, observante ARETÆO, d) splendores varie permix-  
ti in orbem discurrentes, iridem in cœlo prætentam exhibent,  
ac demum in peste. Ubi enim primum hac lue, simul & ver-  
tiginè corripiuntur, mirosque in quibuscunque parietibus qua-  
si per prisma e) colores vident obtupestacti, quod phænomenon etiam ex percussione oculorum enascitur. Uno verbo &  
vertiginosi & in vertiginem proxime lapsuri varios patiuntur  
visionis errores.

§. 3.

Aliud symptoma, quod sæpe hic occurrit, hoc est,  
quod varii auditus errores observentur in vertiginoso. Mox  
rivi leniter fluentis susurrum, mox fluvii delabentis murmur,  
præcipitis torrentis strepitum, tiliarum fistularumque cantus,  
campanæ sonum, horologii velut ad aures affixi oscillatio-  
nes, f) vela percutientem ventum, aut per hiantes fenestræ  
rimas ingemiscentem, miros tragædos, g) personantem echo,  
grandinem pluviamque decidentem, irrequietos colluctantium  
undarum vortices, molarum tumultus, infinitaque alia ab  
aucto-

e) FRANCISC. BACO de VERVLAMIO hist. vit. & mort. Amstel. 1730.  
Vol. III. p. 175.

d) ARET. Capp. p. 1. 28.


e) ROBERT. BOYLE Tom. III. de coloribus p. 6. 7. 8.

f) DUVERNEY Traité de l'Organe de l'ouïe p. 165.

g) — — se credebat miros audire tragædos

In vacuo latus sessor planforque theatro.

Hor. Ep. II, ad Jul. Flor. v. 130.



auctoribus diversis observata, audire re ipsa sibi fingunt vertiginosi.

§. 4

Præter multiplices hæcæ visus auditusque hallucinationes olfactus, gustus, h) tactusve aliquando læditur, angitur insuper metu graviori vel impavidissimus alias miles & constantissimus philosophus. Resolvuntur muscoli, titubant genua, pectus constringitur, enervatur totum corpus, tam subito, ut venenum singulare inesse vertigini somniaverit HELMONTIUS. i) Mox etiam cadunt inviti, vomunt, humi repunt, propinquorum ac suimet obliti, & postquam ex deliquio sese receperunt, quæ non ita pridem audierint, vix recordantur, mirabiles alias, præsertim in epilepsiam et epilepsiæ in apoplexiam vertigo familiarissimas metamorphoses induit.

§. 5.

Primum jam, his de symptomatibus præmissis, de idiopathica vertiginis caulis agam: Huc pertinet omne id, quod mollem cerebri pulpam immediate premit; sive sit æquosus humor effusus, ut in leucophlegmaticis, hydrocephalo, lethargicis, et quibusdam apoplecticis. Ejusmodi exempla citat MORGAGNI, k) PLATERUS, l) BONETUS, m)

(Sive

b) Prosp. ALPIN, de med. meth. p. 587.

i) HELMONTIUS de Aëre p. 82.

k) De sedibus & Caulis Morborum Ep. VI. art. 2. 6. Ep. XXV. art. 2.

l) Obs. L. I.

m) Sepulchret. L. I. Sect. XI. obs. 2. ex Scipione du Pleix,

SCULTET. *n*) Sive sit humor acris, ut in scorbuto *o*). Sive sanguis, qui vel et ipse extravasatus est, qualem observavit MORGAGNI, *p*) Vel in vasis suis quidem contentus hæc tamen præternaturaliter expandit, et sic pressionem in cerebrum exercet, id quod corroboratur observatione MORGAGNI, *q*) Sive sit propter hæmostasiam præclusus, ut in cephalæa. *r*) Si tenax, valde impactus, ut in catalepticis, quos ingruente paroxysmo, tenebricola vertigine correptos multoties observare datum fuit, sive sit diathesis phlegmonodes, ut in fixa & violenta phreneticorum vertigine sive sit plethora *s*), aut denique sanguinis rarefactio ab ira, furore, ardore in ludum, venerem, studio vehementi, a calore immodico, ab insolatione, a medicamentis quibusdam aut venenis, ab ebrietate &c. Huc quoque referas restagnationes sanguinis in caput congesti, ex quocunque impedimento alias sæpe remotas partes occupante v. g. si collum stringatur, si per alia corporis vasa circulus sanguinis retardetur, si in pulmonibus quavis ex causa inflammatoria, sive alia sanguinis

tra-

*n*) SCULTET. *armam.* obs. 19.

*o*) WILLIS de vertig. scorbut. Tom. I. p. 193. 194.

*p*) de sed. et caus. morb. Ep. II, art. 9. & II. it. Ep. III. art. 16. Ep. IV. art. II.

*q*) MORGAGNI Ep. XVIII. art. 2.

*r*) ARETÆUS pag. 24. 27. 28. 115. 116. 117. 118.

*s*) FREIND Emenol. p. 37.



trajectus per vasa sanguifera turbatur, præpeditur, tum sanguis ex capite redux non tam expedite in venas jugulares exoneratur, adeoque venas cerebri non potest non vehementer expandere, & vertigini faventem pressionem in cerebrum exferere. Idem effectus nascetur, si aeris bullæ majores in vasis collectæ cerebri vasa premunt. Transpiratio impedita, vasa replens, huc quoque referri potest.

Item ab immoderato cursu & toties repetita musculorum contractione sanguis tanta copia ad pulmonem ruit, ut juxta leges circuitus expolitus caput agatur in vertiginem mechanicam.

Item a violenta sternutatione, quæ cerebrum ad hebetudinem percutit, tantamque sanguinis abundantiam ad caput pellit, ut igneo vultu, excussis lacrimis, inflatis distentisque carotidibus nervos opticos perturbet.

Item a valido fit corporis nixu, plurimo aëre hausto & in pulmone cohibito, uti jam supra de his explicitum fuit. Quam obrem accidit, ut sanguine in cerebro stagnante visus organon iterum turbetur, usque dum, exspirato tandem aëre, liquida in ventriculæ sinistræ, ex istoque in aortam impellantur. Polyposæ circa cor concretiones, cordis in costas arietantis palpitatio vehemens, †) affectio hysterica, concretus in ventriculis sanguis eadem causantur vertiginis idiopathicæ mala.

§. 6.

†) ARETÆVS p. 16.

## §. 6

Eædem vel similes potentia nocentes propius in nervos opticos eorumque originem, finemve agentes similes producent effectus, quorsum & referas, si sanguis in arterias istarum partium copiosius irruit, quod in Syphilide nonnunquam accidere testatur Astruc. <sup>m)</sup>

## §. 7.

Ad vertiginem idiopathicam producendam porro diathesis phlegmonodes in chronicis ophthalmiis facit. Inflammatis enim retinae prætextis vasculis, et quæ exteriori nervorum opticorum tunica incumbunt, non tantum vertigo furit, sed radiis in arterias nimio opere dilatatas incidentibus, nulla, saltemve confusa fit visio, puncta nigra <sup>x)</sup>, muscas in aëre volitantes, affurgentes nubeculas, infinitaque alia cernunt phantasmata, retinamque lux ita irritat, ut in tenebras inviti sese recipiant.

## §. 8.

Ceteræ vertiginis idiopathicae causæ in spirituum animalium inopiam inertiamque meo quidem iudicio refundi possunt, & de his nunc loquar. Cum autem spirituum inopia nimiam

B 2

vaso-

<sup>m)</sup> ASTRUC. de morb. ven. p. 317.

<sup>x)</sup> MAITRE JEAN des maladies de l'oeil.

vaforum inanitionem subsequatur, explicandum superest, cur hæc assiduam vertiginem suscitet. Cum liquidum nerveum perinde ut reliqui humores omnes sanguini, ut communi omnium matri, originem suam debeat, facile perspicimus, imminuta peno et illud imminui debere, adeoque vim et actionem nervorum, uti omnium, sic et opticorum, debilitari, & ad functionem suam peragendam minus aptos reddi. Deinde et hoc in censum venit, quod cum vigore nervorum debilitato, mobilitas eorum pari passu increascit, et sic vertigini locum det. Arteriæ enim capitis sanguine turgidæ exsurgunt, motu quasi oscillatorio, subiliente, gaudentes. Unde tremula oritur ad nervos opticos concussio. Vix datur locus in corpore humano, qui minorem sanguini irruenti resistantiam opponat, quam cerebri mollis substantia. Ita humores exæstuat, ferventes locum minimæ resistantiæ quærunt, nec ullibi magis idoneam dispositionem eo offendunt, nisi in molliori cerebri substantia. Hoc modo comprimuntur forte tubuli isti minimi, in quos fluidum nerveum deponi suspicantur physiologi, adeoque, posita quoque uberrima ejus secretionem, tamen transitus per tubulos medullares ægrius procedet, et iterum inopia spirituum animalium aderit.

§. 9.

Plurimæ hinc quæstiones solvuntur, quas in transitu mihi allegare liceat. Cur scilicet vertigo a nimio veneris æstu? Quia hic sincerus corporis spiritus, unde vigor ejusdem pendet, exhaurit. Cur a frequentiori balneo? Quia vel

fan-

sanguis nimium exinde versus caput ruit, exæstuat, & tunc in suo versus caput impetu minorem resistentiam experitur, eoque ipso pressionem in nervorum originem exercet. Cur ab omni aqua in ascitem assurgente una vice per punctiōnem eliminata? Abdominis vasa ab aquarum pressione libera capaciōri gaudent diametro; hinc faciliorem liquidis & fluxum permittunt, & majorem admittunt sanguinis copiam. Qua data itaque porta, cruor e capite ad inferiora præceps ruit, fitque necessario respectu vasorum cerebri vacuum, cui post levem vertiginem cæruleique pallidi coloris apparitionem momentaneam succedit animi deliquium. Cur ebrietatem vertigo interdum sequitur? Evacuata materiæ inebriante partim vasa antea distenta collabuntur, partim cessante isto stimulo magna remanet debilitas, unde non retina solum, sed & manus ipsæ sensiliter tremiscunt, & prostratio virium tam diu perseverat, usque dum novo liquido vasa moderate repleveris. \*)

## §. 10.

Alio adhuc & priori contrario modo idem evenire potest, scilicet ex nimia vasorum repletionem. Ea quippe lex est naturæ, ut non sufferat vehementiorem systematis nervosi commotionem, & sanguinis exagitationem, absque insigni subsequente lassitudine. Musculi enim justo magis vigent, & tunc remittente fervore æstuque sanguinis, justo magis torpent, vasorum occurrit insignis dilatatio, tam venosorum, quam

B 3

arte-

\*) "Plenitudinem evacuatio, evacuationem plenitudo itidem sanat," Hipp. de flatibus,



arterioforum, cui succedit inevitabilis & pro rerum statu forsan permanens relaxatio, leucophlegmatix ortum præbitura, Cur a nimio tum animi, tum corporis exercitio, a jejunio, a nimia hæmorrhagia, aliisque nimis profusis evacuationibus. Cur ab animi pathematibus, v. g. tristitia, terrore subitaneo, tanta sensuum alteratio, nervorum & totius corporis accidit, ut in vertiginem quandam ineidat homo. Primum spasmus universalis nervosum systema occupat, qui jam per se vertiginem ciere potest, dein & ipse sanguinem a corporis peripheria reprimat, & ad intima confugere cogit, unde pressio cerebri &c.

§. 11.

Multa sine dubio supersunt propria encephali vitia, quæ vertigini idiopathicæ creandæ paria sunt, ut & ipsius cranii vitia eam produxisse observatores testantur, sic MAJERVS, y) magnam partem laminæ interioris cranii carie consumptam vidit. Idem in murario, qui ab ineunte ætate vertigine atroci laboraverat, observatum fuit. Vermis in anfractibus cerebri latitans, ejusdem est commatis, vid. BONET, z) quale vitium in ovibus commune est, quibus in sinibus frontalibus verminosa progenies sæpe nidulatur. Abscessus, sanies in cerebro eodem spectant, qualia exempla citat BONET aa).

§. 12.

y) in ephem. N. C. Cent. I. & II. Obs. 140.

z) Sepulchr. L. I. Sect. I. Obs. 116.

aa) L. I. Sect. XI. Obs. 6. 7. 8. 10.



## §. 12.

De mera spirituum inertia jam quæstio incidit. Quemadmodum lymphæ, sero, sanguini, humoribus, ita & liquido nerveo suos inesse fluiditatis gradus, per analogiam verisimile est, (si quidem ex eadem materia & per easdem leges quælibet corporis fluida elaborentur) sanguinis autem nimius lentor, vel tenacitas a lento circuitu, hic a laxiori fibrarum diathesi, ergo & ab hac ultima causa spirituum inertia pendet, i. e. torpor & ad functiones peragendas haud sufficiens mobilitas, vigorque. Contraria juxta se posita magis elucescunt, ita rides eos, quibus spiritus firmiores sunt, ut immensos pelagi gurgites, altiora præcipitia, ipsamque imminentem mortem despiciant impavidi. Adeo verum est, observante BELLINO, metum frequentissimam esse vertiginis excitatæ causam. Atque hinc Mahomedes *bb*) epilepsiam refundebat in angelum, cujus fulgore tanto metu percitum se fingeat, ut oborta vertigine exanimatus collaberetur. Verto me jam ad disquisitionem causarum vertiginis sympathicæ.

## §. 13.

Causæ vertiginis *sympathicæ* ut plurimum a viscerum abdominalium vicio pendent, & hinc caput per consensum afficiunt.

Primum vertiginis mentionem faciam, quæ ab ingluvie & crapula oritur, cujus ratio est facilis. Enim vero nimia ciborum aut liquorum copia ingesta nervi ventriculi irritan-

*bb*) BAYLE à Particle de Mahomet.

tur, unde encephalum per consensum gravatur, hinc & in vertiginem adeo proni sunt inprimis viri literati, qui vix assumpto cibo iterum ad museum sese recipiunt, studiisque incumbunt, utpote ventriculo, tam iusto debiliori, quam sensibili laborantes. Quæ de cibis & liquidis quibuscunque, vino, cerevisia, lacte, lactis sero, aqua communi, minerali, potu Théæ, Coffée &c. nimia copia ingurgitatis intellecta sunt, præcipue autem de narcoticis, sub forma cibi, potus, medicamenti, veneni, ingestis.

Causa vertiginis sympathicæ hæc est in ventriculo ab acido coagulatum. Cum enim lactis coagulum per pylorum viam sibi aperire nequeat, in hoc viscere demoratur, ubi magis magisque acefcit. Ingesto jam novo lacte solum serum præterlabitur, dum pars caseosa priori coagulo affixa acefcit iterum, sicque acida casei mole, infarcto demum stomacho, ob rationes jam allegatas, convulsionones, vertigo, & ipsa infantibus hac de causa præsertim familiaris epilepsia sævit. Porro hic obtinet *affectio hypochondriaca*. Nimirum tenuioribus fluidorum particulis, qualibet de causa eliminatis sola sanguinis sæx i. e. terra & oleum simul permixta ex vasorum conditione & legibus hydraulicis in systemate venæ portarum stagnant. Stagnans autem spissior hæc materies fere omnia in abdomine contenta viscera turbat, irritat & sic per consensum vertiginem producit. Nec minus bilis adusta tam vesiculam felleam, quam intestina, ipsumque ventriculum gravans, irritans.

Rare-

Rarefactio aëris sive deglutiti, sive qui viscerum calore ab alimentis flatulentis in crepitus & ructus, flatus, borborygmus erumpens, internas Aeoli more tempestates commovet. Vermes in intestinis, ventriculo latitantes, diata pythagorica, ventriculum labefactans, usus opii, *dd*) planta quaedam venenata, *ee*) rarefacientes sanguinem, aut ventriculum mordicantes & quaecunque demum illi infesta sunt; totidem sunt infinitaque alia causa vertiginem per sympathiam, ut ajunt, producentes. At quemadmodum vertigines sympathicae omnium familiarissimae miseros mortales excruciant, ita ex his duabus unam a laeso ventriculo suboriri cognovere veteres.

## S. 14.

Addi his vertiginibus morbofis potest adhuc vertigo accidentalis seu transitoria, infestans eos inprimis, quibus systema nervosum debile est. Occasionantur eam, prospectus ex alto in profundum, carbo in circulum rapidissime agitatus, versatilis, turbinis impulsio velocior, nix aut grando, caelo commotiori, flante aura, per flocculos in arcum divergentes, cadens, nubes velociter transvolantes, celerrima rota circumvolutio, contorti praecipitis fluminis vortices, alterna cymbae jectatio, vectio in curru, lectica, rheda, equo, inprimis rapidissima & per labyrinthos anfractus deambulatio, per gyreos tortuosi itineris tramites, subitus terrae, aut fellae

*dd*) MORTON de febribus in genere p. 32.

*ee*) WEPFER de cicuta, aquat.





tremor, inexpectatus tubarum clangor, bellicive tormenti excussus, horrida tonitrua, ipsius corporis circumgyratio, defixis diutius & intentissime oculis rivuli conspectus, uno verbo, quicquid lapsus metum parit, motus justo velociore imaginum in retina pictarum efficit, vertiginem accersit. Dum e. g. in gyrum saltamus, externa sese habent in oculo veluti in speculo circulariter versato, ac proinde debent in arcum apparentem converti, usque dum opticae vibrationes tandem expirent. Quod quidem feli circa caudam suam fugientem sese velociter in orbem agitant, equis molendinam, oculis non velatis, circulariter versantibus, simili de causa accidit. Præterea ut symptoma aliis morbis se quandoque jungit vertigo, & haud raro inter perturbationes críticas observatur.

## §. 15.

Leviore quoque vertiginis gradus nonnunquam gravioris morbi epilepsiæ, apoplexiæ nunciū esse possunt. In genere periculum ejus iusta lance librari nequit, nisi species determinata fuerit, ejusque insuper principia et causæ ad amissim perspecta fuerint. E. g. plethorica vertigo toto cælo differt a spasmodica et nunquam ægrotum juvabis, ad vitam ejus producendam, sed potius mortem ejus accelerabis, in utraq; hac vertiginis specie eadem medicamenta exhibens.

## §. 16.

Antequam ad therapiam vertiginis se accingat medicus, hic perinde ac in aliis morbis sollicitè distinguat, quænam sit ver-

vertiginis species & quænam ejus causæ, quæ jam curanda ipsi traditur. Et tunc demum suas formet indicationes. Vertigo Idiopathica, quæ ex anarrhopia humorum versus caput orta est, requirit victum antiphlogisticum, vegetabilem. Ex fonte chirurgico, venæsectionem, applicationem cucurbitularum in nucha, et partibus remotioribus, pediluvia, ligaturam artuum, forte & sinapismos, et quæ sunt alia derivantia, et revellentia. Opinor quoque frigus actuale capiti applicitum, uti id fit per epithemata sic dicta Schmukeriana, his in casibus optimos præstiturum esse effectus, utpote quod solum per duram cranii testam penetrare & vasa in ea latentia stringere valent. Si denique ad Fontem pharmaceuticam respexerimus, iterum ex classe derivantium medicamentorum eligenda nobis erunt, scilicet quæ per stimulum, in organis se et excretoriis remotis excitatum, humores in hæc allicere adeoque ex affecto capite derivare possunt. Deinde quoque his in casibus orgasmus sanguinis temperandus erit per nitrosa, acida & nonnunquam lenia narcotica. Quodsi autem eadem vertigo idiopathica læsiones cranii pro causa agnoscat, chirurgica opis erit præstanda. Si vero ex impedimentis sanguinis refluxui ex capite sese opponentibus oriatur, hæc ante omnia removenda sunt. Si denique vitia alia cerebrum infestant, hæc præterea, quod eorum diagnosi difficillima est, etiam si perspicui possent, tantum non semper medicam operam cludent. Adeoque nil moliri melius erit, quam temeraria operositate ægrum in propius vitæ periculum conjicere. Inprimis autem cavendum, ne vertigo plethorica



confundatur cum ea, quæ ex mera systematis nervosi debilitate nascitur. In hac enim tantum abest, ut venæsectiones aliæve evacuationes boni quid præsent, ut potius ægrum semper in pejus conjiciant. Profunt potius diæta humectans, facilis digestionis et nutritionis conjuncta cum iis, quæ tonum restituunt, et apprime firmant.

## §. 17.

Therapia autem vertiginis sympathicæ, cum ejus sedes fere semper in primis viis deprehendatur, istis vitiis omni diligentia erit occurrendum. Ita pro re nata modo resolutioni & exturbationi pituitæ tenacis, in ventriculo & intestinis hærentis, incumbendum erit, quod quidem fieri potest per strenuum usum salium mediorum, præsertim ammoniaci, quibuscum leviter acria & aromatica jungi possunt, quod si factum putes, emetica, vel tantum laxantia subjunges. Sic jam WILLISVS ff) vertiginem sustulit emetico. Agmen denique claudent tonica, recursum istius pituitæ avertentia. Modo vero, si ex lignis peculiaribus bilem acrem vel amureosam & atram adesse cognoveris, methodo antibiliosa opus erit. Nimirum acri bili oppones acida vegetabilia, præsertim cremorem tartari, non neglectis evacuantibus, præsertim *ava* operantibus. Amureosa autem bilis iisdem acidis vegetabilibus resolvi poterit, vel, quod præstat, diuturno usu fructuum horæorum aliorumque acido-dulcium, utpote quæ saponaceam hic vim exferent, expugnanda erit.

ff) WILLIS, anat. cerebr. C. XII.

§. 18.

## §. 18.

Reliqua in primis viis hærens saburra verminosa tanto diligentius est oppugnanda, quo magis vermes reituntur, appropriatis medicamentis. Ita nonnunquam vertiginis curam meris anthelminticis absolves, quandoque purgantibus repetitis, sæpe etiam sola diætæ mutatione. Semper tamen & in his casibus roborantia negligenda non sunt. Ex hoc capite forte cubebæ famam suam in tollenda vertigine obtinuerunt.

## §. 19.

Accidentalis & symptomatica demum vertigo nulla eget therapia. Sæpe tamen etiam diuturna therapia opus erit, qua id efficere studemus, ut homo & in posterum a morbo liber maneat. Huc ergo facient præter evitacionem occasio- num ea, quæ systema nervorum in genere, & systema digestionis in specie roborare vigoremque illis conciliare possunt, quas indicationes optime adimplebit Mars.

## §. 20.

Ea ceterum, quæ magni facienda sunt in successu therapie promovendo, adhuc addam: Nulla re majorem firmitatem solida, nulla majorem consistentiam fluida acquirunt, quam corporis exercitio. Cum vero muscularis motus vim vitæ stimulet, exercitium ad densandum cruorem, roborandosque proinde spiritus saluberrimum esse sequitur, maxime in ea vertigine, quæ ex debilitate existit. Quotuplex nunc

C 3

exer-



exercitii genus! Gestatio in lectica, frictio, quæ in morbis a debilitate oriundis fere tota medicina veterum, ambulatio, equitatio a Sydenhamo tantopere laudata, saltatio, cursus, luctatio, innocua quædam certamina, &c. uno verbo, quicquid sanguinis circuitum promovet, simulque laxiora fibrarum elementa ad se invicem arctius adstringit, hic mira præstat. Ex iisdem principiis commendari debent loca sicca, ædiciores domus, vapores enim nebulosi, e loco humili assurgentes laxam fibrarum diathesin inducunt. Cubiculi parietes lignei sint, non piæti; hi scilicet, cum lapidibus frigidioribus & humidioribus inducti sunt, aquam aëri permixtam spongiæ instar attrahunt, dum supra olei, pigmentorumque superficiem semper humidus aër ita obambulet, ut prope piætos parietes deliquescere sales jam dudum noverint pharmacopolæ. Stragula, quibus superdormiunt, sint prius sicca, quam corpori superimponantur, ut apud rachiticos mos est. Indusia & vestes sint ex lana bibula, ad ignem calefacta, linteum enim de corpore exhalantes halitus illi communicat, ideoque quibus est nimia transpiratio, prodest; indusia vero lanea iis, quibus est parcior transpiratio, conducunt. A paludibus recedentes aërem montanum siccum inspient. Corpus ipsumque caput molliter adstringatur, denique per integrum curationis intervallum ab omnibus externis vertiginis affectum provocantibus mobiles oculos caute avertant, usque dum stabilito demum spiritu, retina quibuslibet circuli punctis celeriter & successive percussa jam minus contremiscat, tunc autem requiritur, ut ex altissima turri



turri planitiem immensam prospiciant, vehantur navi, curru, rheda, ac tandem corpus quodlibet circulariter versatum objectaque successive fugientia diutius cernant, ut sic in posterum familiari circello adsueti spiritus jam non rotentur.

Victus autem sit solidus, ficus, facile digerendus, uberimus i. e. vere nutritius, ex ovis recentibus, quæ per observata Malpighiana *gg*) tam cito in bonos humores & solida convertuntur, jure carniùm, quarum pars subtilior haud avolaverit, & lacte denique, modo nulla sit acidi suspicio. Potus sit parcissimus, austerus, roborans, ex vino, cerevisia meraciori, quibus panis imbuendus, ne citius præterfluant; a pinguibus, & aquosis, v. g. a nimio Théè & Caféè potu caveant, licet enim vires vitæ stimulent, nebulosæque caligines subito discutiant, laxatis tamen aqua calida fibris sit dein prona in vertiginem diathesis.

*gg*) Malpighius de ovo incubato & de formatione pulli in ovo, Boerhaave chem. T. II, de regno animali.



PRÆNOBILISSIMO DOMINO DISSERTATIONIS  
AVCTORI

P R Æ S E S

*Qualem mihi obtulisti Dissertationem abs TE conscrip-  
tam, talem, fere paucissimis mutatis, TIBI reddo, cum  
presertim angustia temporis, qua pressus es, meas inter-  
polationes, præterea supervacaneas, vetuerint. Gratulor  
TIBI de Specimine eruditionis medicæ, gratulor de ho-  
noribus, quos capeffis, gratulor de Sparta, quam Patria  
TIBI jam contulit, prosperosque TIBI opto ex omni  
parte successus, in solatium ægrorum, in gaudium Vene-  
randi TVI Parentis, & in TVAM ipsius felicitatem.  
Vale! Id. Sept. CIOIÖCCLXXXIII.*



KD. 78

PICA





(20)

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE VERTIGINE.



Q V A M

RECTORE VNIVERSITATIS EBERHARDINÆ CAROLINÆ  
MAGNIF

SERENISSIMO AC POTEN

D O

C A R

DVCE WVRTEMBERGI

RE

P R A

VIRO EXCELLENTISSIM

GVILIELMO  
P L O V O

PHILOS. & MED. DOCTOR. PA

FACVLTATIS M

FAVTORE AC PATRONO

PRO GRAD

D. SEPT.

PVBLIC

A V

CHRISTOPH. CH

DVNCKEL

VRBIS PATRIÆ D

T V B I N G Æ T Y P I S S C H R A M M I A N I S .

